



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. II. An juramentum calumniæ possit remitti?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](#)

Bonifacius VIII. sic loquitur : quamvis in causis spiritualibus (*in quibus debet de veritate dicenda jurari*) Canones non indicant alicui calumniæ juramentum : nos tamen (*quia frequenter calumniari videmus in ipsis utile reputamus*, quod simul (*sicut plerique observant*) tam de veritate dicenda, quam de calumnia (*ut via praeccludatur calumnii*) jurari debet in eisdem ; quibus prænotatis.

699. Resp. juramentum calumniae , quando alterutra pars litigantium id exigit, ut præstetur à parte , esse de substantia judicii sic, ut totus processus vitietur , si judec id præstari non jubeat, parte litigante id exigente ; ita communiter Doctores cum Bartolo in L. 2. C. de jurejurand. propter calumniam , &c. Sed quia veremur , ibi : Sed quia veremur , ne forsan quidam , collusione aliqua utentes , remittere videantur inter se hujusmodi Sacramentum , & ex predicta dissimulatione nostram sanctionem deludant : sancimus , omnes judices , (licet ex compromissio cognoscant,) vigorem suum exercentes , minimè pati , tale Sacramentum remitti , sed omnimodo hoc & ab Actore , & à fugiente exigi : ne paulatim videatur hujusmodi res defraudari , & Sacramentum vel principalium personarum , vel Advocatorum ex qua cùm parte mutilari. ita etiam Francus in dict. c. 1. b. t. in 6. num. 4. Gail. l. 18. observ. 80. Layman. in cit. c. 1. num. 4. &c alii.

## §. II.

An juramentum calumniae possit remitti ?

700. Q Væstio procedit. 1. an possit remitti à partibus ? 2. à Judice ? 3. an statuto ? 4. an à Supremo Principe ? 5. an consuetudine ? Ad. 1. Resp. de remissione negativa , quæ sit non exigendo , jam diximus affirmativè num. 697. difficultas est de remissione , quam facit pars pa-

tione expressa ? Negativa communis est, quam tenet Layman cit. num. 3. Hattnold. tom. 5. tract. 3. num. 457. Barbos. in cit. c. 1. num. 4. & alii. Ratio hujus est , quia his , quæ introducta sunt in favorem publicum , pactis privatorum derogari non potest ; at juramentum calumniae introductum est in favorem publicum , ut expreßè dicitur in cit. §. sed quia veremur , relato num. preced. ne scilicet veritas occultetur , & partibus concedatur facultas calumniandi , aut tam graves , & bono publico necessarias leges eludendi , ut loquitur Imperator , in §. sed quia veremur , supr. numer. 699.

Ad. 2. Resp. à Judicib; non supremis , non posse remitti juramentum calumniae ; tum quia inferior jure ordinario nihil potest in lege Superioris ; tum quia id expreßè illis prohibetur in dicto §. sed quia , ibi : sancimus omnes Judices , vigorem suum exercentes , minimè pati , tale Sacramentum remitti , sed omnimodo hoc & ab Actore , & à fugiente exigi , maximè cùm hoc medium non pro commendo privatorum , sed pro communi utilitate introductum sit ; cui vi muneric sui specialiter consulere tenentur Judices ; dixi à Judicib; non supremis ; nam , cùm sit introductum jure positivo , cui supremus Princeps derogare potest (sætem exigente id utilitate publica , quam etiam Princeps tueri debet ; hoc enim directè respicit jus jurisdictionis ) per rescriptum Supremi Principis decerni potest , ut non præstetur juramentum calumniae ; sic Abbas in c. cæterum b. t. n. ult. ex quo habetur etiam responsio ad 4. quod tamen aliqui restringunt solum ad casum , quo expensis verbis derogat ; sic Barbos. in c. 1. §. propter b. t. n. 5.

De statuto id expreßè negat Barbosa 702. cit. cum Viviano , & aliis ibidem relatis ; quod etiam tenet Menochius lib. 1. de Arbitrar. quest. 20. num. 4. & sic omnino dicendum videtur , propter gravissima mala , quæ hujus juramenti prætermissio inducit , ut experientia certum est , innumeris fraudibus , falsis probatioibus , dilationibus , & similibus inven-

A a

tis

tis laxatâ viâ ; præsertim , cùm hoc jura-  
mentum favore publico introductum sit ,  
L. 2. §. Sed quia , C. b. t. ob tres potissi-  
mum causas : primæ , ut sic eliciatur ve-  
ritas , ex literis , de jure jur : secundò ut ,  
metu jurisjurandi , litigantium compen-  
scatur audacia , L. 1. C. b. t. tertio , ut  
omnis calumnia arceatur , L. 2. authent.  
principalis , C. de jure jur. propter ca-  
lum. ex quo patet ad 3. De consuetudine  
verò pariter introduci non potest , ut *indefi-*  
*nitè* partes de calumnia jurare non te-  
neantur , vel expressè remittere possint ,  
aut recusare etiam Judice exigente , per  
c. Cœterū , 5. b. t. ubi dicitur , quod , si  
Clerici coram Judice suo Ecclesiastico li-  
tigent , compelli debeant , ad juramen-  
tum propter calumniam utrinquè præ-  
standum , consuetudine , quæ legi contraria  
est , non obstante ; & ita tenet Perez  
gloss. 5. dub. 6. vers. iſtud tantum jura-  
mentum pag. 541. tit. 4. lib. 3. Ordin. &  
alii apud Barbos dict. c. 5. n. 5.

703.

Dixi , *indefinitè*. Nam Layman. in  
cit. c. 5. textum illius canonis , sic intel-  
ligit , consuetudinem ( *ut partes de calu-*  
*mnia non jurent* ) non posse prævalere  
Adversus legem , si occasione talis consue-  
tudinis appareat veritatem occultari , & vi-  
am calumniis patere ; esset enim irratio-  
nabilis consuetudo , & bonis moribus re-  
pugnans : sin autem ob hominum aliqui-  
jus Regionis probitatem , & fidelitatem ,  
simplex non calumniandi promissio , aut  
juramentum de veritate sufficere videa-  
tur , præsertim in causis non arduis ,  
tum consuetudine præsertim imme-  
memoriali , ( L. de juram. calumn. ) abro-  
gari posse ; c. ult. de consuetud. quam-  
vis fortassis textus etiam intelligi possit ,  
non posse per consuetudinem introduci ,  
ut judice vel ad instantiam partis , vel ex  
officio , juramentum calumniæ exigente ,  
ob causam , quæ ipsi justa visa est , recusa-  
ri queat ; posse tamen per consuetudi-  
nem introduci , ut si pars non exigat ,  
judex ordinariè hoc juramentum non  
deferat ; sic Layman : sed reverà rebus ,  
& periculis , quibus cavendis hoc jura-  
mentum introductum est , bene conser-  
deratis , non videtur ullatenus communi  
bono expedire ; imò , ubi lex ista non

servatur , ut in quibusdam Provinciis  
contingit , non tantum ex parte litiganti-  
um , sed ipsorum etiam Procuratorum ,  
vel Advocatorum , multas iniquitates in-  
tervenire , protelatis litibus non tantum  
injustis , sed etiam possessione , quam pos-  
sidentes planè iniquam nōrunt , magno  
animæ detrimento ; ex quo patet respon-  
sio ad 5.

Confirmari hoc potest ex c. *Constitu-*

704.

*tus. 3. de Fidejussorib.* ubi Fidejussor , qui  
pro alio fidejussit , propter debitoris mo-  
ram in solvendo , debito semper augesen-  
te , plurimum molestatus à Creditore ,  
compulso ad solutionem Debitorum , etiam  
per Censuras Ecclesiasticas dicitur libe-  
randus , & Debitori imponendum jura-  
mentum calumniæ , si debitum , vel ac-  
cessiones negaverit , *consuetudine* , quæ  
est legi contraria , non obstante . Unde  
meritò Vallensis b. t. cenlet q. 1. num. 1.  
id adeò necessarium esse , ut , si ab altera-  
tra parte exactum , & omisso fuerit ,  
omissio vitiet processum , & sententiam  
reddat nullam , L. 2. q. sed quia , C.  
eod. Bart. in L. cùm Judices , §. sed quia  
veremur , num. 3. C. cit. tit. Alex. in  
lib. Qui bona , q. si alieno , n. 14. ff. de  
damno infecto . Idquè de jure obtinet ,  
licet à fisco exigatur : quia cùm hoc jura-  
mentum calumniæ nusquam à lege fi-  
sco nominatum remissum repetiatur , illud  
etiam præstare debet , quandòquidem fi-  
scus non nisi in casibus à jure expressis  
privilegiatus sit , & , in non expressis , juris  
communis dispositioni subjaceat , L. fin. C.  
de usuris fiscalib. l. 10. Dico , de jure ; quia  
de consuetudine , id non servari in fisco ,  
testari Doctores refert Gail. 1. observ. 90.  
quia talibus juramentis non debet gravari  
fiscus ; tum propter majestatem mandan-  
tis ; tum quia calumniari non præsumi-  
tur , quem necessitas officii excusat , &  
personæ qualitas præsumptionem calu-  
mniæ excludit : Sed quām sæpe  
fallit !



ARTI-